

pio, ex eo quod corpus passibile remanens passibile non erat capax recipiendi claritatem gloriæ, quam habent corpora gloriosa, sed quia ipsa anima pro illo statu non habebat formaliter potestatem ad talem immutationem, sed solum radicaliter.

XVIII. Ad confirmationem respondetur negando consequentiam. Et ad probationem dico, quod si loquamur de potestate radicali animæ ad glorificandum corpus, eadem fuit semper in anima Christi, et post resurrectionem, et antea eo solum, quod anima beata erat; cæterum si loquamur de potestate formali, illam habuit post resurrectionem, non vero antea. Nec ex hoc debet colligi, quod anima Christi esset minoris virtutis ad glorificandum suum corpus, quam aliæ animæ, si quidem ipsæ eo ipso quo reunirentur corporibus illa clarificant, quod non reperitur in anima Christi, quia ne id fieret a principio impeditum fuit per miraculum, quo miraculo supposito, videlicet, quod corpus passibile deberet manere in Christo, non fuit in ejus anima potestas formalis ad illud clarificandum, nisi miraculose, ut in transfiguratione.

#### ARTICULUS VI.

*Utrum omnis voluntas humana Christi semper fuerit adimpleta?*

I. Pro intelligentia tituli (ut statim certa ab incertis separemus) supponendum est duplicem esse actum voluntatis humanæ in Christo, et absolutum, et conditionatum; et quidem quod conditionatus non fuerit semper impletus, certissimum esse constat ex illo Matthæi xxvi: *Pater, si possibile est transeat a me calix*

*iste*, qui revera non transivit. Et hoc quidem non est mirum, si quidem nec voluntas antecedens ipsius Dei semper impletur, vult enim illa voluntate omnes homines salvos fieri, et tamen multi sunt qui damnantur. Tota ergo difficultas est de voluntate absoluta humanitatis Christi Domini, an semper fuerit adimpleta, de quo non est parva controversia inter theologos.

II. Pro resolutione dubii notandum est primo, quod voluntas absoluta, et efficax humana Christi Domini (de qua est difficultas præsens) potest dupliciter considerari. Primo modo, ita ut sit absolute, et simpliciter, hoc est, omnibus modis efficax, et tunc est quando volebat objectum cum omnibus mediis, et circumstantiis necessariis ad consecutionem illius, sive illa media apponenda essent solum ex parte sua, scilicet voluntatis humanæ, sive apponenda essent ex potestate, et voluntate aliorum. Eadem etiam voluntas potest vocari efficax altero modo, videlicet non simpliciter, et absolute, et omnibus modis, sed tantum in aliquo determinato genere, quando scilicet voluntas humana Christi volebat aliquod objectum, aut finem, et similiter volebat omnia media quæ ipsa voluntas præstare poterat; non tamen volebat omnia media necessaria ad consecutionem talis finis, quando illa media erant in voluntate, et potestate aliorum, quorum voluntas non subdebatur humanæ voluntati Christi, atque adeo non simpliciter, et omnibus modis intendebat finem illum, sed tantum quantum erat ex parte sua.

III. Secundo, notanda est differentia inter voluntatem humanam Christi, et divinam, quod scilicet voluntas divina efficax absolute, et omnibus modis semper est efficax, et sic non est capax distinctionis a

nobis positæ de voluntate efficaci humana Christi. Ratio hujus manifesta est, quod scilicet, cum voluntas divina sit primum movens respectu omnium voluntatum creaturarum, quæ in omnibus divinæ subduntur, ideo totum quod voluntas divina efficaciter vult, semper adimpletur, quia in ejus potestate est ponere omnia media necessaria ad impletionem talis voluntatis, et ad consecutionem cujuscumque finis. Voluntas autem humana Christi, cum finitæ, et limitatæ virtutis sit, et cui omnes aliæ voluntates non sunt subditæ, aliquid potest aliquando velle ex parte sua apponendo omnia media, quæ sunt in potestate ejus, et tamen effectus non eveniet, quia dependet ex voluntate libera aliorum, quæ non subditur voluntati humanæ Christi.

IV. Prima conclusio: Omnis voluntas humana Christi absoluta, et efficax in his, quæ ab ipsa sola voluntate dependebant semper impleta fuit. Hæc conclusio est ita certa ut a nemine theologorum negetur: est expressa D. Thomæ in hoc articulo, et probatur clare ex verbis D. Augustini adductis in argumento. Sed contra, quæ illam efficaciter probant, et similiter ratio brevissima adducta in corpore articuli. Insipientiæ enim (quæ longe abest a Christo Domino) tribuendum esset ut aliquid vellet per se facere, quod suæ virtuti non subjaceret; si ergo Christus per seipsum volebat aliquid fieri cognoscebat id esse in ejus potestate, et consequenter ejus voluntas in similibus semper adimplebatur. Si vero cognoscebat a se ipso fieri non posse, nec esse in ejus potestate humana, absolute illud non vellet a se fieri, atque adeo talis voluntas absoluta in rebus, quæ per ipsum debebant fieri, semper adimpleta fuit.

V. Secunda conclusio: Voluntas

Christi humana, quæ absolute, et omnibus modis erat efficax, juxta dicta a nobis notabili primo, semper adimpleta fuit. Hæc conclusio etiam est certissima. Et probatur ratione, quia quando voluntas Christi humana omnibus modis determinabatur ad aliquem effectum, jam habebat notitiam de omnibus mediis ad illum effectum, et finem necessariis, et quibus modis applicanda erant tam a se, quam ab aliis; ergo semper quod omnibus modis applicabat efficaciter suam voluntatem effectus infallibiliter sequebatur; alias imprudentiæ etiam tribui posset, ut sic omnibus modis efficaciter se determinaret voluntas humana, si omnia necessaria tam a se, quam ab aliis ponenda non essent prævia, et certa.

VI. Tertia conclusio: Voluntas illa Christi humana efficax secundum quid (de qua diximus in illo notabili) circa ea, quæ erant in aliorum potestate non semper impleta fuit. Hæc est D. Thomæ in solutione ad primum, solutione secunda, et illam tenet Cajetanus in præsentibus, et Cabrera hic, et multi ex modernis doctissimis, et probatur; tum, quia voluntates aliorum non erant subjætæ voluntati humanæ Christi, nec media, quæ ab aliis poni deberent ad effectum; ergo in aliquo casu hujus generis voluntas absoluta humana Christi non adimpleta fuit, tum etiam aliquibus argumentis, quæ sine dubio magnum robur habent. Primo, probatur ex primo argumento D. Thomæ, et ex solutione ejus secunda, in qua hoc expresse docere videtur. Postquam enim posuerat argumentum ex illo Marci vii: *Ingressus domum, neminem voluit scire, et non potuit latere*, respondet D. Thomas sic: « Vel potest dici, quod hæc voluntas Christi non fuit de eo, quod per eam fiendum erat, sed de eo quod erat fiendum per

alios, quod non subiacet humanæ voluntati ipsius. » Videte ergo quomodo D. Thomas clare ait, quod voluntas absoluta Christi eorum, quæ per alios facienda erant, non fuit semper adimpleta.

VII. Secundo, probatur efficacissimo argumento ex epistola Agathonis papæ, quæ refertur in sexta Synodo generali, actione IV, et recepta est actione VIII, ubi summus pontifex sic ait: « Ergone ille hominum conditor, ac redemptor in terris latere volens non potuit, nisi hoc ad humanam ejus voluntatem, quam temporaliter est dignatus assumere, redigatur? » Ergo secundum mentem summi pontificis voluntas humana Christi non semper fuit impleta, cum de facto latere voluit, et non potuit.

VIII. Forte dices huic rationi, summum pontificem esse intelligendum de voluntate conditionata, et inefficaci, quæ non semper impletur; non vero de absoluta et efficaci. Sed tamen hoc aperto argumento frivolum esse ostenditur, quia pontifex ibi volebat probare in Christo non solum esse voluntatem divinam, sed etiam voluntatem humanam, et probat hoc, quia voluntas divina semper impletur, voluntas vero humana non semper impletur; sed si intelligatur de voluntate conditionata, et inefficaci, argumentum pontificis futile, et inane esset, cum etiam voluntas conditionata Dei, et inefficax non semper impletur; ergo ut constituatur aliqua differentia rationabilis inter utramque voluntatem divinam, scilicet et humanam, aliquo probabili argumento asserendum est voluntatem aliquam absolutam, et efficacem humanitatis Christi non esse adimpletam.

IX. Confirmatur ex D. Damasceno, libro III de fide, capite XVII, ubi ait: « Quo etiam factum est ut

cum sui conspectum subducere vellet, per se id non potuerit, quod nimirum Deo Verbo perspicuum hoc fieri placuisset vere in se inesse humanæ voluntatis imbecillitatem. » Quibus verbis denotat Damascenus, quod adhibita diligentia ex parte humanæ voluntatis Christi, atque adeo ex efficaci voluntate voluisse Christum latere, et non potuisse propter humanæ voluntatis imbecillitatem. Quod quidem si de inefficaci, seu conditionata voluntate intelligeretur, nullius momenti esset argumentum ad probandam imbecillitatem voluntatis humanæ.

X. Per hæc argumenta, et præcipue per secundum, quod sine dubio magnum est, motus fuit Cajetanus in præsentia, ut doceret voluntatem Christi humanam efficacem, et absolutam, circa ea tamen quæ per alios fienda erant, non semper fuisse adimpletam, et sic etiam sentit Cabrera hic, licet aliter loquatur infra quæst. XVIII, art. V, disp. IV, de quo etiam videatur Suarez disput. XXXVIII, articulo quinto.

#### SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XI. Pro parte vero affirmativa dubii non sunt infirma argumenta. Et pro illa primo arguitur: Nam homo prudens, et doctus non vult absolute, et efficaciter id, quod sibi constat non esse futurum; alias enim actus videretur imprudentiæ conari ad illud, quod scit non esse futurum, sed Christus Dominus plenam habuit notitiam omnium futurorum, si quidem cognovit omnia, quæ Deus novit scientia visionis, ut ait D. Thomas loquendo de scientia beata animæ Christi, atque adeo non vidit tali scientia futurum esse ut lateret; ergo cum ab illo omnino secludenda sit imprudentia, dicendum erit non voluisse efficaciter la-

tere, sed solum conditionaliter, et inefficaciter, et consequenter voluntatem solum inefficacem, et conditionatam Christi non esse adimpletam, non vero absolutam, et efficacem.

XII. Confirmatur, quia voluntas efficax humana non potest esse impossibile, et præcipue eorum, quæ impossibilia cognita sunt; ergo si Christo secundum humanitatem non fuit possibile fugere conspectum hominum ut nesciretur, et id optime novit, cum rerum omnium scientia esset præditus, non potuit efficaci voluntate velle seipsum occultare, ut ab aliis ignoraretur.

XIII. Secundo arguitur: Nam quidquid absolute, et deliberate volebat anima Christi, volebat etiam et divinum Verbum, quia cum actiones sint suppositorum omnis actio voluntatis Christi humanæ erat etiam actio totius suppositi; ergo cum voluntas omnis efficax divini Verbi semper adimpleta fuerit, id etiam dicendum erit de voluntate absoluta, et efficaci humana Christi; alias enim esset contrarietas voluntatum Verbi, et humanitatis, cum Verbum absolute vellet Christum non latere, et voluntas humana efficaciter voluisset oppositum.

XIV. Tertio arguitur: Quia omnis voluntas absoluta animæ beatæ adimpletur; sed anima Christi Domini erat perfectissime beata; ergo ejus voluntas absoluta semper fuit adimpleta. Major probatur definitione status beatifici, qui est omnium bonorum aggregatione perfectus; habet ergo beatus quidquid vult, et consequenter omnis ejus voluntas efficax est adimpleta.

XV. Confirmatur, quia anima Christi poterat facere quidquid vellet, aut propria virtute, aut secundum quod erat instrumentum divini Verbi; ergo quando absolute aliquid volebat, semper implebatur talis vo-

luntas, aut a se ipsa ut causa principali, aut saltem ut causa instrumentali, atque adeo nulla voluntas absoluta humanitatis Christi desinit adimpleri.

XVI. Restat ergo respondere ad ista argumenta partis affirmativæ, quæ videntur probare omnem voluntatem efficacem Christi semper, et in omnibus adimpleri. Ad primum respondetur, quod homo prudens, et doctus aliquid absolute potest velle, et efficaciter quantum est ex parte sua, quamvis sciat absolute non esse futurum, eo quod ab alterius voluntate pendet, ut patet in exemplo medici prudentis, et docti, qui quantum ex se absolute vult potionem amaram infirmum sumere, et hoc præcipit, et tamen cognoscere potest ex circumstantiis, et humoribus infirmitatis, imo ex confessione ipsius infirmi, quod nullatenus illam sumet. Similiter Christus Dominus bene poterat habere quantum erat ex parte sua actum voluntatis absolutum latendi, et ad hoc ex se conari, quamvis ex altera parte sciret illud non esse adimplendum, eo quod a voluntate aliorum pendebat, quæ voluntati humanæ Christi non subdebatur. Unde Cajetanus super illud capitis septimi D. Marci ait, quod Christus non potuit latere non ex impotentia absoluta Christi, sed ex impotentia silentii, quia moraliter loquendo, alii non poterant silere. Itaque Christus absoluta voluntate volebat ejus adventum ad gentiles non manifestari, nihilominus id non potuit, quia etiam stante ista voluntate humana Christi, alii homines oppositum poterant operari.

XVII. Ad confirmationem respondetur impossibile duo esse genera; quædam enim sunt impossibilia per se, et altera impossibilia per accidens. Rursus impossibile per accidens est duplex, aliud quod est

impossibile ex suppositione præteriti, ut quod Petrus non peccaverit, si jam peccavit, est impossibile per accidens ex suppositione actus jam præteriti, et sic actus ille jam non est in ejus potestate : aliud est impossibile ex suppositione futuri, ut supposito quod Deus scit Petrum peccaturum, infallibiliter peccabit, et ex suppositione scientiæ Dei non potest illud peccatum non esse. Cæterum hæc scientia non extrahit actum peccati futuri a potestate Petri, sed semper manet in ejus potestate facere actum peccati, vel non facere, et quamvis illi sit revelatum peccatum suum futurum, tenetur quantum est ex se efficaciter conari non peccare. Sic igitur in præsentia, licet Christo esset impossibile vitare conspectum hominum, et occultare se supposita scientia, quam habebat de eventu futuro, tamen adhuc sub ejus potestate manebat fugere conspectum hominum, non quia ipse posset alios prohibere ex voluntate humana ne eum viderent, aut ipsi occurrerent, sed quia hoc contingens illi fuit, simpliciter non evenire; atque adeo sicut stante revelatione peccati futuri tenetur Petrus conari oppositum, sic etiam Christus potuit absolute velle occultari, et efficaciter ex parte sua conari ad hoc, etiam supposita scientia, quod de facto illi occurrerent, et visuri essent eum.

XVIII. Ad secundum respondetur illud probare animam Christi secundum quod erat instrumentum divini Verbi operatam fuisse quæcumque volebat voluntate absoluta; at vero propria virtute id non poterat, quia concurrebat Verbum ad actum voluntatis humanæ ad modum ipsius voluntatis, sicut concurreret suppositum proprium humanitatis, si ibi esset. Quare distinguendum est antecedens; quidquid volebat anima Christi absoluta vo-

luntate, volebat et divinum Verbum, distinguo; volebat voluntate humana supplendo vicem suppositi humani, concedo antecedens; volebat voluntate divina absoluta, et efficaci, nego antecedens. Et sic de facto contigit in præsentia quando neminem voluit scire, et non potuit latere.

XIX. Ad tertium respondetur primo, quod voluntas beatorum absoluta semper adimpletur respectu eorum, quæ per se ipsos fieri debent; non est autem inconveniens asserere, quod voluntas beati non adimpletur circa ea, quæ per alios facienda sunt. Nec hoc derogat statui beatifico, quia status ille est omnium bonorum aggregatione perfectus in ordine ad ipsam animam beati, quæ nihil aliud desiderare potest, quam Deum, quem videt, nec cessare ab actu, cum hoc tamen sicut compatitur, quod corpora eorum in terris sepulta sint, etiam compati potest, quod voluntas illorum quoad ea, quæ dependebant ex voluntate aliorum non semper adimpleretur.

XX. Secundo respondetur, quod in Christo adhuc militat singularis ratio, quia ipse non erat quantum ad omnia in statu beatorum, atque adeo ratione hujus poterat voluntas ejus non adimpleri circa ea, quæ ex voluntate aliorum pendebant.

XXI. Ad confirmationem respondetur, quod anima Christi propria virtute non poterat facere quidquid vellet, cum voluntas aliorum non esset illi subdita; poterat tamen voluntates aliorum immutare secundum quod erat instrumentum divini Verbi; hoc tamen non procedit contra prædicta, quia nos in præsentia tantum disputamus de anima Christi secundum sibi propria, et de illa inquirimus, an semper fuerit adimpleta; non autem de illa ut est instrumentum divini Verbi, quia sic omnia potest, juxta dicta a

D. Thoma secunda conclusione. Et hæc de hac gravissima quæstione.

XXII. Postquam D. Thomas a quæstione xxxvii, usque ad xliii, inclusive egit de perfectionibus naturæ humanæ a Verbo divino assumptæ, statim de defectibus ser-

monem instituit, per alias duas quæstiones, et quia inter alios corporales defectus sunt notiores, de eis subditur quæstio quarta decima. In qua dubia parvi momenti subiunguntur, ea breviter absque longa disputatione perstringemus, per articulos judicando.